

*Ipsi cernitis, exfututus ut sim,
Confectusque, macerque, pallidusque,
Qui quondam ruber & valens solebam
Fures cedere, quamlibet valentes.
Defecit latus, & periculofam
Cum iussi miser exspuo salivam.*

Scilicet, quod meretricularum fatum est, cum ipfas ætatis gravitas Venereis Sacris excludit, ut alios excitent, & vel sic officium adimpleant: id & huic Priapo videri potest evenisse, cum phallos quasi venum exponat, ipse crebris actibus inhabilis: Nisi fortè post labores languidum arbitreris, moxque refur-recturum, qualis & ille, qui Epigr. LXXV. exclamat:

*Obliquis, Pathicæ, quid me spectatis ocellis?
Non stat in inguinibus mentula tenta meis.
Quæ tamen exanimis nunc est, & inutile lignum,
Utilis hæc, aram si dederitis, erit.*

Quicquid sit, Testiculorum crassities naturæ habitum abundè demonstrat: Demonstrant phallorum fasciculi, quos utraq; manu satis luculentos gestat: Imò & utrinque apertos, quod de se ipso testatur Epigr. XIII.

*Nos Vappæ sumus, & pusilla culti
Ruris Numina. Nos pudore pulsò
Stamus sub Jove COLEIS APERTIS.*

Ad testiculorum crassitiem appositè quadrat illud Epigr. XIV.

Magnis testibus ista res agetur.

Ad phallorum fasciculos ritè inclamaveris spectantium choros:

*Qui sapiet, malum cavebit,
Cum tantum hic sciat esse mentularum.*

Vides, amantissime ARCHÆOPHILE, quàm doctè in his operatus fuerit Artifex? Non doctè tantum, regessit ARCHÆOPHILUS, sed & artificiosè. Elegantia sanè major est, quàm ut Priapo convenire videatur. Rudi manu cum formari solitum, Authorum suffragiò constat; At Hic vel cum Phidiæ Operibus curret. Rudi manu, respondit DULODORUS, interdum fieri solitum, inficias non ierim; sed hoc non obstat, quò minus & artificiosè interdum formatus fuerit. Audi ipsum apud Martialem:

*Non rudis indoctâ fecit me falce colonus.
Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Ceretani cultor notissimus agri
Hos Hilarus colles & juga læta tenet.
Adspice, quàm certo videor non ligneus ore,
Nec devota focus inguinis arma geram;
Sed mihi perpetuò nunquam moritura cupressò
Phidiacâ rigeat mentula digna manu.*

Scilicet non artificii præstantia à Priapo aliena est, sed elegantia formæ:

Me pulchrâ fateor carere formâ,

Ait ipse Epigrammate XXIX. Et Epigr. LXIII.

*Imi perfluunt sinus imbres,
Et in capillos grandines cadunt nostros,
Rigetque dura barba juncta Chrystallo.*

Cui